



AESTVS MARIS NON A LVNA SOLA DEPENDET.

TVrgida cælestis postquam pater æquora fudit,
Iussit & incerto circundare littora cursu:
Tum primùm immensum, Phæbe, tua numina sensit
AEquor, & alternis impleuit vicibus orbem.
Nec tua sola tamen tremulis dominatur in vndis
Vis geminata, tenens punctum media inter Eoum
Meridiemq; viâ: sed ab æquore Phæbus alentes
Haurit aquas, latumque facit turgescere pontum.
Sæpe etiam igniferum tincturus in æquore currum
Titan, ab occasu spatio propiore receptus:
Ne nimium tumidis tardentur fluctibus orbes,
AEquora lunares placat metuentia vires.
Sic cum, Phebe, voles rabidos mare continet æstus:
Cumque voles rigui pulsant sua littora fluctus.
Necnon & rapidis agitatur in æquore ventis
Vnda per angustas lambens decliuia ripas.
Nam pater his mulcere dedit tumida æquora summus,
Fulgidaque altisonos ad sydera tollere fluctus:
Aspicit inualido veluti cum lumine terras
Obliquas Phæbus, nec iisdem æstuat horis,
Nec semper parili turgescit tempore pontus;
Sic venti, sic sphæra suo moderamine vastum
Oceanum regit, ac vinclis & carcere frænat.
Sòlque indignantes magno cum murmure fluctus
Imperio premit, & flexis moderatur habenis.
Adde quòd insignes passim dent æquora fluxus,
Tempora cum spatiis quadrent nocturna diurnis.
Ergo vbi sol, venti, decliuia, sphæra, planetæ
Tot poterint fluctus dare nunc, nunc demere, Luna
Non sola æquoreos fluxus mouet atque refluxus.



ROMANORVM RESP. PER ANNOS 400. SIMplex *Democratia fuit.*

VT primùm occubuit contemptor Amulius æqui,
Perdidit, & fratri quas rapuisset, opes:
Paruula Martigenam capiebat Roma Quirinum,
Qui rexit valida fræna nouella manu.
Proximus huic (pronum namq; ille per aera lapsus
Supremâ magni constitit arce Iouis,)
Rex Numa: qui postquam regnumq; æuumq; peregit,
Tertius á primo principe Tullus erat.
Inde Quirinalis decor est translatus ad Ancum, &
Post multos Priscum venit ad vsquè gradus.
Sed Priscus tandem tenebrosa in Tartara cessit,
Seruius Iliacis præficiturq; focis.
Vltima crudelis possidet regna superbus,
Qui tulit indigno vimq; metumq; toro.
Tunc regni species tenues effugit in auras,
Atq; fuit regnis illa suprema dies.
Regibus exactis, Romanæ gentis habenas
Consul, sed populi voce creatus, habet.
Hic status Ausoniæ gentis, dum cornibus annum
Ter decies denum Luna replerat, erat.
Post, vt Roma potens tercenta Palilia vidit,
Imperiumq; decem sustulit omne viris;
Concessere patres: quadringentosq; per annos
Maiestas populi solius omnis erat.
Hunc penes Iliacæ stabilis custodia gentis,
Et ius vertendi Cardinis omne fuit.
Curia quid potuit patribus stipata verendis?
Cuncta leuat populus vulnera, cuncta facit:
Deprimit, attollit, vitam modò dat, modò demit,
Illius arbitrio cum nece vita redit.
Diruit, ædificat, sanctum facit omne, profanat:
Ex hoc omnis honos, hoc sine nullus honos.
Quam vult cumq; creat legem, quamcumq; refigit:
Vox populi verso pollice, nulla valet.
Ergò libertas, mors, ius, pax, fœdera, bella,
Cum remanent populi clausa patentq; manu:
Romuleæ gentis popularem, Regibus actis,
Quis dubitet, centum lustra fuisse statum?